



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Censuris, In Qua Sex Disputationibus De Poenis Ecclesiasticis, deque  
Irregularitate fusè tractatur, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

XXV. Expenduntur excommunicationes reseruatæ in 6. libro Decretalium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76667)

9 Sexta excommunicatio sumitur ex cap. conquesti. 2. 2. de sententia excommuni. vbi Ca. onici Reginen. Ecclesie conquesti sunt Pontifici, quod Malafrena, eiusque sequaces quosdam Ecclesias Reginen. Episcopatus violenter confringunt, easque spoliare minime dubitant. Cui querela respondet Pontifex: *Mandamus quatenus si est ita, memoratos sacrilegos excommunicatos nunciatis, & faciatis sicut excommunicatos articulis euitari, donec possit iniuriam congrue satisfaciari, & damna pro eis data rescitari, & cum litteris vestris rei veritatem contentibus Apostolice se conspectui presentent.* Hic Textus etiam specialiter de confringentibus, spoliantibusque Ecclesias Reginen. Episcopatus loquatur, ac eius decisis pro lege suscepta est ab Ecclesia. Vti omnes Doctores supponunt, & notatur Bonac. t. 3. de censur. disputat. 2. q. 3. p. 12. num. 11.

10 Grauis tamen est controuersia; at in predicto Textu feratur ipso iure excommunicatio aduersus effractores spoliatoresque Ecclesiarum, an supponatur alibi lata, vnum enim ex his necessariis est affirmandum: nam cum Pontifex precipiat Ordinaris hos delinquentes excommunicatos nunciari, vt articulis euitentur, fit sane excommunicatos esse, vel in hoc Textu excommunicari; enunciatio enim & publicatio excommunicationem supponit: Glossa, & Panormit. in dicto cap. conquesti. Nauarr. cap. 27. num. 94. Caiet. verbo Excommunicatio cap. 21. & alij negant in hoc Textu excommunicationem ferri: latam tamen esse in cap. canonica 11. quest. 3. ibi: *Ecclesiarum Dei violatores anathemare, & iudicio sancti Spiritus e gremio sancte Matris Ecclesie, & consortio totius Christianitatis eliminamus.* Item in cap. omnes Ecclesie 17. q. 4. vbi Lucius Pontifex inquit; *Omnes Ecclesie raptiores, atque suarum facultatum alienatores a liminibus sancte Matris Ecclesie anathematizamus.* Præterea in cap. quisquis eadem causa, & q. dicitur: *Si quis domum Dei violauerit, & aliqua sine licentia illius cui commissa esse dignoscitur, inde abhulerit, sciat se communionem esse priuatum.*

Ceterum verius censetur ex predictis textibus non satis colligi excommunicationem latam esse, ferri tamen tacite in hoc cap. conquesti. Quare fuit sententia Azor. 1. p. lib. 9. cap. 27. q. 12. Toleti lib. 1. cap. 3. num. 6. Sayri lib. 3. thesauri, cap. 29. num. 14. Suar. disput. 2. 2. de censuris, sect. 2. num. 10. Grassi 1. p. lib. 2. cap. 28. num. 12. Reginaldi lib. 19. num. 60. Bonac. disp. 2. q. 3. punct. 12. n. 1. August. Barbofa 3. p. de potest. Episc. allegat. 50. num. 90. Priorem partem probo, respondendo Textibus in contrarium adductis. Et quidem cap. canonica, & cap. omnes Ecclesie, non statuunt legem neque excommunicationem imponunt Ecclesiarum violatoribus, sed referunt quid in illo delicto Ecclesia præstare soleat, vt ex tenore textuum liquet. Caput vero quod quis non sententiam latam, sed ferendam continet, vt manifeste indicant subsequenda verba, ibi: *Qui infringunt monasteria, & loca Deo dicata, & Ecclesias, & depolita, vel alia qualibet inde abstrahunt, velut sacrilegi canonice sententia subigantur.* Quapropter illa verba antecedentia: *sciat se communionem esse priuatum* intelligenda sunt accedente sententia. Præterquam quod non satis constat qua communio priuandi essent. Adde si in predictis Textibus excommunicatione continetur ob quamlibet Ecclesie, & loci pij violationem, & illius bonorum vsurpationem contrahenda est. At id communis sententia negat, ergo in predictis Textibus nulla excommunicationis sententia ipso iure continetur. Ex quo secunda pars conclusionis conuenitur, nam cum denunciatio excommunicationem necessariam supponat, & hæc excommunicatio lata non fit Textibus antiquioribus cap. conquesti, fit sane ipso cap. conquesti ferri excommunicationem: sensus namque illorum verborum, *memoratos sacrilegos excommunicatos nunciatis*, id est nunciatis eos sacrilegos esse excommunicatos, quia ex nunc eos excommunicamus. Sicuti si Pontifex diceret, si ita est memorati sacrilegi nouerint se esse excommunicatos nunciandos; excommunicationem ipso iure per illam legem ferret; sic censendus est supradictis verbis excommunicatos nunciatis excommunicationem tulisse.

11 Vt autem hi sacrilegi hæc afficiantur excommunicatione duplex delictum committere debent. Primum Ecclesiam effringere. Secundum illam spoliare, quia textus vsus est dictione copulatiua, quæ vtrumque extremum ad sui veritatem requirit, iuxta leg. si quis in stipulatus, ff. de verborum obligat. Et tradit Suar. disput. 2. 2. sect. 2. num. 11. Bonac. disp. 2. quest. 3. part. 12. num. 9. Barbofa 3. part. de potest. episc. alleg. 50. num. 90. Ille autem censetur Ecclesie effractor qui eius parietes fodit, vel suffodit, rumpit fenestram, ostium, vestes, & similia. Quinimo Syluest. verbo excommunicatio 5. num. 16. Sayrus lib. 3. cap. 29. num. 16. censent effractorem esse qui violenter vestem debilem facit cedere loco. Sed rectius Bonacina dicta disput. 2. quest. 3. punct. 12. num. 3. negat; quia illa actio est tantum aperiens, non effractor, cum nihil Ecclesie effingat. Hinc à fortiori constat effractorem non esse qui clauis adulterina Ecclesiam ingreditur, sicuti notatur Bonac. Suar. Sayrus, Barbofa loc. alleg. spoliator vero est qui

Ecclesie bona rapit, furatur, destruit, seu alio modo iniurioso Ecclesiam denudat, suisque bonis priuat, vti tradunt dicti Doctores. Vnde malitiosè incendens Ecclesiam hac excommunicatione innodatur, quia simul est spoliator, & effractor: vti tradit Nauarr. cap. 27. num. 94. Suar. sect. 2. num. 6. Filliucius tract. 15. cap. 2. quest. 5. num. 53. Bonac. tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 12. num. 4.

Nomine Ecclesie tradunt Panormit. in dicto cap. conquesti, Nauarr. cap. 27. num. 94. Tolet. lib. 1. cap. 35. num. 6. Suarez disput. 2. 2. sect. 2. num. 17. Sayrus lib. 3. cap. 29. num. 18. Barbofa allegat. 50. num. 90. Filliucius tract. 15. cap. 2. q. 6. intelligi non solum templa auctoritate Episcopi ad Diuina officia deputata, sed etiam Hospitalia, Monasteria, & alia loca; quæ hæc constitutio lata est in fauorem Ecclesiarum, ac proinde nomen Ecclesie late accipiendum est. Sed contrarium spectato iuris rigore, verius existimatum cum Bonac. dicta disput. 2. quest. 3. punct. 32. num. 6. quia esto hæc constitutio in fauorem Ecclesie cedat, absolute tamen penaliter est, ergo non debet ultra proprietatem verborum extendi. At retentæ proprietate verbi Ecclesie, vsque communi; non veniunt Hospitalia, aut Monasteria, vt de constat. Ex qua ratione credendum aduersus Suar. disput. 2. 1. sect. 2. num. 11. Bonac. disp. 2. q. 3. p. 12. num. 6. Barbofa alleg. 50. num. 90. neque etiam sacrilia, tamen si Ecclesie coniunctam, intelligi; quia non est formaliter Ecclesia, sed quid Ecclesie accessorium; & alius conueniens Ecclesie annexus & contiguus intelligendus est. Neque obest regula accessorium quia accessoria accessoria est Ecclesie quoad ædificium, sed non quoad leges penam, vel fauorem spectantes, nisi id expresse caurum fuerit, sicuti in materia interditi caurum est, capite si ciuitas de sententia excommunicata. alia Ecclesie pollutor esset, qui in sacrilia fomicatur, vel sanguinem humanum violenter effunderet.

Excommunicatione contra hæc ante Ordinarij denunciatio nem nulla est referuatio: at post denunciationem nulla est referuatio: at post denunciationem Ordinarij summo Pontifici referuatur, vt constat ex vltimis verbis dicti cap. conquesti, ibi: *Apostolice se conspectui presentent*; sicuti notatur Nauarr. Tolet. Sayrus, Suar. Bonac. Barbofa locis allegatis. Sed qualis denunciatio sufficiat? Bonac. disp. 2. quest. 3. punct. 12. num. 14. censet sufficere generalem, quæ omnes effractores, spoliatoresque Ecclesiarum publicatim excommunicat. Sed rectius censuit oppositum Nauarr. cap. 27. numero 94. Suar. sect. 2. numero 19. Sayrus cap. 29. numero 14. Filliucius numero 53. Barbofa numero 90. quia debet esse denunciatio, quæ sacrilegos faciat notos; alia non fateret eos articulis, quam ante publicationem vitari, vt inquit Textus.

PVNCTVM XXV.

Expenduntur excommunicationes referuare in sexto libro Decretalium.

- 1 Excommunicantur omnes Dynasta, qui sine licentia Sedis Apostolicæ se intromittunt in electione Senatoris, Patricij, aut Recloris Vrbs Romana.
- 2 Imponentes tributis Ecclesiasticis personis excommunicantur.
- 3 Item insequentes hostiliter Cardinalem S. Romanæ Ecclesie.
- 4 Item qui tam tempore conclauis, quam alio tempore domus cuiusque Cardinalis inuadunt.
- 5 Item non reuelantes conspirationem in Cardinalem.
- 6 Item qui vexauerint eos, qui censuras excommunicatiouis, suspensionis, vel interditi tulerint.
- 7 Comprehendit mandantes, & precipientes.

Prima excommunicatio Pontifici referuata contenta in sexto libro Decretalium referunt in cap. fundamenta de electione lib. 6. ibi enim præcipit Pontifex Nicolaus IV. ne Imperator, Rex, Marchio, alique quicumque notabilis præeminentiæ, dignitatis, seu excellentiæ, eorumque fratres, filij ac nepotes sine licentia Sedis Apostolicæ nominationi, electioni, vel assumptioni in Senatorem, Capitaneum, Particum, aut Rectorem Vrbs Romæ assentiant, vel se intromittant per se, vel per alios. A quo præcepto excipit eos qui originem petunt ex Vrbe; aut in ea continentiam habent habitationem, etiam si prædictorum filij, aut nepotes sint; quinimo etiam Comitatum, aut Baroniam habeant extra Urbem; dummodo inferioris conditionis, & excellentiæ sit supradictis Romanis dignitatibus, vt meritis ex illius vsu nullum dignitatis Romanis præiudicium timeri possit. Deinde statuit, ne vilius in prædictas dignitates eligatur vltra annum abique expressa Sedis Apostolicæ licentia in scriptis obtena. Qui ergo contra prædictam constitutionem nominant, eligunt, vel assumunt alios ad prædicta officia, vel nominationes, electiones, assumptiones de se factæ vltra annum consecrunt, aut se de ipsi

ipfis quomolibet intrinsecum, aut intendunt, obediuntve illi  
allumpis, vel eis auxilium, consilium, vel fauorem Publico  
vel occulte præstant ipso iure excommunicatione innodan-  
tur, cuius absolutio Pontifici referatur. Sicuti tradit Syluest.  
Excommunicatio 7. num. 20. Sayrus lib. 3. thesauri, cap. 29. num.  
29. & 20. Tolet. lib. 1. cap. 35. num. 7. Barbosa, alleg. 50.  
num. 91.

Secunda fertur in cap. Clericis de immunit. Ecclesiar. in 6.  
vbi tam imponentes tributa Ecclesiasticis personis, quam  
soluentes excommunicantur. At quoad personas soluentes  
sublata est hæc excommunicatio in Clement. quoniam, eodem  
tit. in dicto cap. non minus. & cap. aduersus de immunit. Eccle-  
siar. Perseuerat autem hæc excommunicatio in Bulla cænæ  
Domini approbata aduersus imponentes, exigentesque tri-  
buta, quos inquit Pontifex non esse absoluedos, quin plene  
satisfecerint. Quod si durante regimine satisfactionem ex-  
hibere noluerint, vel non poterint ad ipsos, eorumque suc-  
cessores tum in hæreditate, tum in officio pertinet satisfactio-  
nem præstare, iuxta Textum in cap. non minus & cap. aduersus  
de immunit. Eccles. Sic Tolet. lib. 1. cap. 35. num. 9. Barbosa  
allegat. 50. num. 92.

Tertia excommunicatio continetur in cap. felix de penis  
lib. 6. aduersus eos, qui Cardinalem S. Romanæ Ecclesiæ  
aut fuerint hostiliter insequi, percutere, capere, associare hæc  
facientem, aut fieri consilere, fauere, receptare, seu scienter  
defendere delinquentem. Quæ excommunicatio partim con-  
tenta erat in cap. quis suadente diabolo 17. quæst. 4. partim in  
Bulla Cænæ, cap. 11. Sed qua parte fertur excommunicatio  
aduersus insequentem Cardinalem, tametsi in eius personam  
violenter manus non iniecerit continetur in hoc cap. excommu-  
nicatio. Itemque aduersus eos qui sic delinquentes scienter receptaverint.  
Quos omnes inquit Pontifex) *quandiu in sua conuictio-  
ne perseverauerint singulis diebus dominis, & festis pulsatis  
canonibus, & candelis accensis per omnes illius loci Ecclesias,  
in quo tantum sacinus fuerit ardentium, necnon ciuitatum, &  
diocesium vicinarum excommunicati publice denunciatur,  
penam ab alio quam à Romano Pontifice possit absolutionis  
beneficium obtinere, nisi duntaxat in mortis articulo constitu-  
ti.* Adde præterea Pontifex in sine dicti cap. excommuni-  
cationem licet non referatam aduersus Principes, Recto-  
res, Consules, & Magistratus &c. ac eorum officiales,  
qui huiusmodi constitutionem non fecerint obseruari in-  
firmam, postquam res ad eorum notitiam peruenerint.  
Sicuti hæc omnia docent Nauarr. cap. 27. numero 110.  
Suar. disp. 2. sect. 3. numero 12. & seq. Tolet. lib. 1. cap.  
35. num. 10. Bonac. 1. 3. de censur. disp. 2. q. 3. punct. 7. per to-  
tum.

Prædictæ excommunicationi annexenda est, quam tradi-  
dit Leo X. in Bulla incipiente *Temerarium*: vbi excommuni-  
cationem, aliisque penas contentas in dicto cap. felix, de  
penis lib. 6. extendit ad omnes & singulas personas cuius-  
cunque status, conditionis, & excellentiæ existentis, qui  
alicuius Cardinalis domum tam tempore dietæ conclusæ,  
etiam si in Romanum Pontificem sit electus, quam aliàs quan-  
doque, & ex quacunque causâ armata manu inuadentes,  
& in ea violenter, & hostiliter aliquid diripientes, aut quem-  
piam ex inibi existentibus vulnerantes, & eorum socios, &  
qui id fieri mandauerint, vel factam eorum nomine ratum  
habuerint, aut ipsi inuaforibus consilium in præmissis, vel  
fauorem præstiterint, & defenderint. Duæ actiones sunt ne-  
cessariæ ad hanc excommunicationem, inuasio domus Car-  
dinalis, & hostilis haorum direptio, vel personarum ibi  
existentium vulneratio: direptio namque vel vulneratio in-  
uasioni hostili coniuncta esse debet, vt manifestè indicat par-  
ticula &, quæ coniunctiua est subsequenti cum præce-  
dentibus. *leg. si quis tra stipulatus ff. de Verbor. obligatiomb. Et  
notauit Bonac. 1. 3. de censur. disp. 1. quæst. 3. punct. 9. nu-  
mero 3.* tametsi ipse dicto cap. felix, & can. 11. Bullæ ex-  
sola inuafione domus excommunicatio referatur contra-  
bitur.

Deinde debet annexi, quam tradidit Pius V. in Bulla 93.  
quæ incipit: *Infelix sceleris*, vbi excommunicationem, & penas  
latas in dicto cap. felix, & in Canone 11. Bullæ Cænæ ad-  
uersus offendentes Cardinales, eorumque fautores, & de-  
fensores extendit ad eos qui scientes, intelligentes, vel con-  
siliantes conspirationem in Cardinalem non reuclauerint  
Romano Pontifici, si in curia extiterint, vel Ordinario loci,  
vel si Cardinalis ipse Ordinarius extiterit propinquior: Epif-  
copo, & si crimen nondum commissum fuerit, ipsimet Car-  
dinali: Et quidem ad monendum Cardinalem, vt se caueat  
obligatus quantumuis delictum occultum sit: at ad faci-  
endam denunciationem iuridicam nullatenus obligari po-  
tens, nisi delictum probare posses. Quod à fortiori procedit,  
cum denunciatio non ad correctionem delicti, sed ad illius  
punitiorem tendit. Quinimò Filliucius tract. 14. capit. 6. q. 11.  
num. 97. quem sequitur Bonac. 1. 3. de censur. disp. 1. q. 12. punct. 3.  
in fine existimant hanc constitutionem Pij V. vsu, & praxi  
abrogatam esse.

Quarta excommunicatio continetur in cap. quicumque de  
sentent. excomm. in 6. aduersus eos qui ob censuram excommu-  
nicationis, suspensionis, vel interdicti latam dederint ali-  
cui licentiam occidendi, capiendi seu aliàs in personis, aut  
bonis suis, vel suorum grauandi eos, qui dictas sententias  
protulerunt, siue quorum sint occasione prolata, vel eadem  
sententias obseruantes, seu taliter excommunicatis commu-  
nicare nolentes (nisi licentiam ipsam re integra reuocauerint,  
(vel si ad bonorum captiorem occasione ipsius licentiæ  
sit processum, nisi bona ipsa fuerint infra octo dierum spatium  
restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa. Eadem quoque  
sententia innodatur omnes qui ausi fuerint prædicta licen-  
tia data vt, vel aliquid præmissorum, ad quæ committenda da-  
ri licentiam prohiberi est, aliàs committere suo motu. Qui  
autem in eadem sententia permanerint duorum mensium spatio  
ex tunc ab ea nequeant absolui ab alio, quam à Romano  
Pontifice.

In defensionem libertatis Ecclesiasticæ lata est hæc cen-  
sura. Comprehendit primò omnes, & singulos cuiuscunque  
conditionis, & qualitatè sint, qui occasione latæ censuræ quæ  
valida esse debet, vt inquit Suar. disp. 2. sect. 3. num. 7.  
Bonac. disp. 2. q. 3. punct. 15. num. 5. nam: *ualida nec cen-  
suræ, nec sententiæ nomen meretur) vexauerint occidendo,  
vel capiendo, vel aliquo modo grauando in personis, aut bo-  
nis suis, & suorum eos qui prædictas censuras protulerunt,  
vel eos quorum occasione promulgatæ sunt, vel qui eas ob-  
seruantes, seu cum excommunicatis communicare nolunt. No-  
mine suorum intelliguntur consanguinei, cap. curia de electio-  
ne, lib. 6. & qui sub alicuius sunt potestate. Infir. de his qui  
sunt sui, vel alium iuris: & generaliter omnes illi, quorum  
grauamen in præiudicium excommunicantis cedit, & ob  
eam causam præstatur, vt bene aduertit Caeteran. verbo Ex-  
communicatio, 36. Nauarr. cap. 27. num. 99. Sebastian. Medi-  
ces. 2. part. sum. tit. 9. quæst. 78. num. 73. Sayrus lib. 3. thesauri  
cap. 29. num. 23.*

Secundò comprehendit eos, qui ad hæc facinora patranda  
præbent licentiam, nisi fortè ante patratum crimen licen-  
tiam reuocauerint, quæ reuocatio nota debet esse ei cui licen-  
tia data fuit, aliàs nullius effectus erit, vt bene notauit Bonac-  
cina dicta disp. 2. q. 3. punct. 15. num. 3. Quinimò si damnum non  
in personis, sed earum bonis fuerit factum, & intra octo dies  
fuerit reparatum, non est locus censuræ, vt expressè notatur  
in dicto Textu.

Sed an mandans, & præcipiens aliquam ex his actionibus  
hæc excommunicatio innodetur? Negat Bonac. disp. 2. q. 3.  
punct. 15. num. 6. nisi is qui mandatum dederit publicam ha-  
beat auctoritatem; quia Textus loquitur de concedente li-  
centiam non de mandante. Concedens autem licentiam neces-  
sariò auctoritate publica fungi debet. Sed rectius Syluest.  
verbo Excommunicatio 7. num. 27. & Sayrus lib. 3. cap. 29. numer.  
21. oppositum censent. Quia mandatum, seu præceptum ferri  
non potest, nisi de eo qui à natura, vel ex Diuino iure, vel  
ex Reipublicæ concessione superior est. Si igitur ob licen-  
tiam hæc excommunicatio contrahitur, à fortiori ob man-  
datum contrahetur, cum potius mandatum, quam licentia au-  
thoritatem publicam requirat.

Ab hæc excommunicatione infra duos menses Episcopus,  
imò & Parochus absolueret excommunicatos potest, illis vero  
elapsis solus summus Pontifex.

PUNCTVM XXVI.

Expenduntur excommunicationes contentæ in  
libris Clementinarum referuatæ  
Pontifici.

- 1 Inquisitores Episcopo inferiores non procedentes aduersus hæreticum, vel alicuius falso imponentes hæresim excommunicantur.
- 2 Episcopi suspenduntur ab officio per triennium.
- 3 Religiosi Sacramentum Extreme-unctionis, vel Eucharistia ministrantes absque licentia Parochi, excommunicantur.
- 4 Sub nomine Religiosi aliquibus placet intelligi Nouitios. Sed verius est oppositum.
- 5 Satis probabile est solos Religiosos exemptos intelligi.
- 6 Debent esse Sacerdotes.
- 7 Religiosus Parochus liber est ab hac excommunicatione.
- 8 Persona circa quas Religiosi exercere debent actiones prohibitas sunt Clerici, vel laici.
- 9 Ob ministratiorem Extreme-unctionis, & Eucharistia, & Matrimonij solemnitatem hæc excommunicatio incurritur.
- 10 Explicatur quid sit solemnizare Matrimonium in hoc Textu Religiosus prohibetur.
- 11 Si de speciali Parochi licentia fiant hæ actiones, non est locus excommunicationi.